

bum Christianæ Reipublicæ , & Cæsari præsertim , bellum intentabatur . Nam cum post Viennam irritò conatu oppugnatam Byzantium revertisset ; appetente vere , aucto exercitu , acriori vi eandem urbem aggressurum , Germaniamque invasurum apud cunctos mortales fama vulgaverat ; qui nominis gloriam aucupatus , Joannem Transilvaniæ Vaivodam Hungariæ Regem declaraverat ; neque se dominandi cupidine permotum , sed , ut ejecto , atque sua sede pulso opitularetur , adductum fuisse . Aloysium vero Gritum thesaurarium regni creaverat , qui , episcopatus Agriensis titulo sumpto , apud Joannem Regem consiliarii munereungebatur . Is Andreæ Ducis filius nothus erat , qui dum privatorum negotiorum causa , adhuc immatura juvenia , Byzantium se contulisset , haud vulgare ingenii specimen dederat , magnamque auctoritatem , & gratiam apud Hibrainum , qui tunc supremo apud Turcas magistratu (quem *Visirum* vocant)ungebatur , nactus , turbulentis Reipublicæ temporibus plurimo fuerat adjumento . Omni igitur belli terrore ab Italia amoto , firmata pace , quatuor ex præcipuis Senatoribus a Senatu ad Pontificem delecti , ut illi pacem , ac foedus nuper initum gratularentur , atque de more id officii genus erga Apostolicam Sedem præstarent , quod superioribus annis , ardente bello , deferri nequiverat : fuere hi Marcus Dandulus , Aloysius Gradonicus , Aloysius Mocenicus , Laurentius Bragadenus . Gaspari Contareno , cui in patriam revertendi facultas data fuerat , Antonius Surianus orator apud Cæsarem susceptus est ; Marcus Antonius Venerius , qui ordinariæ legationis munere fungeretur , adjectus . Iis cum reliquis quatuor , ut Bononiam proficiscerentur , injunctum est ; qui honorifice a Pontifice , atque Imperatore excepti , præclare legationis munus obivere .

Pacis bono lætis animis insuetisque gaudii argumentis cunctis Italis exultantibus , in communi lætitia Florentina Reipublica gravibus undique circumsepta molestiis , & curis videbatur , reliquorumque Principum concordiam in suam perniciem casuram verebatur . Nam Cæsar Clementis suasionibus , ac petitionibus adactus Bononiæ , arma in Florentinos movere , reipublicæ illius statum immutare , Mediceam fa-

Joannes
Transilva-
nia Vaivo-
da a Sulei-
mano Rex
Hungariæ
declaratus .
Aloysius
Gritus
Hungariæ
Thesaurar-
ius assu-
mit titulum
episcopatus
Agriensis .
Oratores
Veneti ad
Pontificem
pacis causa
delecti .